

SCRIPTA

Numéro Scripta : 875

Auteur(s) : Henri II, Bayeux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Bayeux (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1184-1205]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Henri II, évêque de Bayeux, fait savoir que Henri, préchantre de Bayeux, a cédé son pré de Bretteville, absolument nécessaire au moulin de Tour, à Guillaume, fils de Guillaume de Tancarville, et à ses héritiers, pour quatre setiers de froment qu'il donnera au préchantre et à ses successeurs dans la prébende de Bretteville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° LXXXIV, t. 1, p. 107-108.

Dissertation critique

La première apparition datable d'Étienne comme doyen est en 1185 ; son prédécesseur, Guillaume de Tournebu continue son fonction de doyen jusqu'au 1184 où il est consacré évêque de Coutances. Épiscopat d'Henri II, 1165-1205.

Texte établi d'après a

Henricus, Dei gratia Baiocensis episcopus, et Stephanus, decanus, et capitulum Baiocense, omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod, de nostra concessione et voluntate, Henricus, præcentor noster, concessit pratium suum sub Bretevilla, quod molendino de Tor valde est necessarium, Willelmo, filio camerarii, et hæredibus suis habendum et tenendum, pro quatuor sextariis frumenti, quod idem Willelmus, de assensu patris sui, in compensationem illius prati concessit et dedit cantori et canonicis, ei in præbenda de Bretevilla successuris, in perpetuam elemosinam percipiendos annuatim, in prima septimana Adventus Domini, per liberationem molendiniorum de eodem molendino ad mensuram de Bretevilla. Jurabunt itaque molendinarii ejusdem molendini, qui sunt vel futuri sunt, se memoratum bladum, scilicet quatuor sextarios frumenti, bonum et legale tanquam de firma statuto termino canonico reddituros. Ita quod, cum aliquis de novo ibi fuerit molendinarius positus, infra proximos quindecim dies sequentes debet ipse, vel plures si ibi fuerint molendinarii, adire canonicum illius præbendæ, vel ejus procuratorem, ut ei sollempniter, apud Baiocas, de prædicto blado, sicut dictum est, persolvendo præstent juramentum. Quod si non fecerint, vel si, post præstitum juramentum, in solutione bladi defecerint, in ipsos ut in contumaces ecclesiastica justitia exercebitur. Nichilominus, si bladum non fuerit secundum præscriptum tenorem canonico aliquando persolutum, vel si molendinarios, ad faciendum quod dictum est, idem Willelmus quilibet hæres ejus non coegerit, ipse de tenore conventionis inter eos initæ ad utrumque exequendum, tam per justiciam ecclesiasticam quam secularem si necesse fuerit, compelli debet. Præterea, licebit canonico, sine cujus libet contradictione, justiciam suam facere

in exclusis factis in dicto prato vel faciendis : scilicet, ut eas frangat, vel aliam justiciam quam viderit sibi magis expedire, libere poterit exercere tam in prato quam in aqua per idem pratum defluente, si ei ultra terminum statutum redditus præscriptus detineatur. De his autem omnibus fideliter canonicis ejusdem præbendæ servandis, juravit idem Willelmus, in capitulo nostro, fidelitatem ecclesiæ Baiocensi et Henrico, præcentori ejusdem præbendæ canonico. Nos etiam, ad hujus rei perpetuam firmitatem, eam cartæ nostræ testimonio et sigillorum munimine confirmamus.